



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXIV. Gregorii Papae I. Ad Ianuarium Episcopum Calaritanum. Vt
xenodochia ab eo diligenter gubernentur. Item de Epiphanio presbytero.
De Paulo clerico malefico. De ordinationibus & nuptiis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

scopo nostro Felici vel filio meo Cyriaco iniungite, eisque ad opus Dei solatium præbete, vt in remuneratione vitæ tanto possitis esse participes, quanto nunc bono operi solatium præbetis.

EPISTOLA XXIV.

GREGORII PAPÆ I.

AD IANVARIVM EPISCOPVM CALARITANVM.

Vt xenodochia ab eo diligenter gubernentur. Item de Epiphanio presbytero. De Paulo clerico malefico. De ordinationibus & nuptiis clericorum. De virginibus velandis. De mulieribus a monasteriis egressis.

Gregorius Ianuario episcopo Calaritano.

OPORTEBAT siquidem fraternitatem tuam ita de rebus piis esse sollicitam, vt nihil ad explendas eas nostris admonitionibus penitus indigeret: tamen quia quædam ad nos peruenerunt quæ sunt corrigenda capitula, nihil est incongruum si nostræ quoque vobis pagina auctoritatis accedat. Quamobrem significamus peruenisse ad nos, consuetudinem fuisse, vt xenodochia, quæ sunt in Calaritanis partibus constituta, apud episcopum ciuitatis singulis quibusque temporibus suas subtiliter rationes exponerent, eius videlicet tuitione atque sollicitudine gubernanda. Quod quia tua hæcenus fertur caritas neglexisse, hortamur, vt, sicut dictum est, tibi singulis quibusque temporibus rationes suas xenodochi, qui in eis sunt constituti vel fuerunt, subtiliter reddant. Atque tales in eis qui præsentantur ordinantur, qui vita, moribus atque industria inueniantur esse dignissimi, religiosi dumtaxat, quos vexandi iudices non habeant potestatem: ne si tales personæ fuerint, quas in suum possint euocare iudicium, vastandarum rerum debiliū, quæ illic reiacent, præbeatur occasio: de quibus rebus summam te curam gerere volumus, vt nulli sine tua licentia detur notitia, ne vsque ad direptionem earum ex fraternitatis tuæ perueniatur incuria. Præterea nostri latorem præsentium Epiphanium presbyterum quorundam sacerdotum literis criminaliter accusatum. Cuius nos, vt valuimus, discutientes causam, nihilque in eo obiectorum reperientes, vt ad locum suum re-

Grat. 5.9.6.
cap. 4.

uerteretur, absoluiamus. Criminis ergo eius auctores te volumus perscrutari. Et nisi qui easdem transmisit epistolas paratus fuerit hoc quod obiecit canonicis atque districtissimis probationibus edocere, nullatenus ad sanctæ mysterium communionis accedat. Paulum vero clericum, qui ^{Iuo p. 11. c. 23.} sæpe dicitur in maleficiis deprehensus, qui despecto habitu suo ad laicam reuersus vitam in Africam fugerat; si ita est, corporali prius proueniente vindicta, præuidimus in pœnitentiam dari, quatenus & secundum apostolicam sententiam, ex carnis afflictione spiritus saluus fiat: & terrenas peccatorum sordes, quas prauis contraxisse fertur operibus, lacrymarum possit assiduitate diluere. Eis vero qui ab ecclesiastica communione suspensi sunt, nullus religiosus secundum Canonum præcepta iungatur. De ordinationibus vero vel de nuptiis clericorum, aut de iis quæ velantur virginibus, nullus, vt nunc fieri dicitur, quidquam præmii præsumat accipere, nisi quippiam sua sponte offerre maluerint. De mulieribus quæ de monasteriis ad laicam vitam sunt egressæ, virosque fortitæ, quid fieri debeat, cum prædicto fraternitatis tuæ presbytero subtilius sumus collocuti: cuius relatione sanctitas vestra potest plenius informari. Religiosi vero clerici conuentus, patrocinia laicorum caueant, & tuæ modis omnibus secundum Canones iurisdictioni subdantur, ne remissione fraternitatis tuæ, eius cui præes disciplina dissoluatur ecclesiæ. ^{Grat. 27. q. 1. c. Eos autem.} Eos autem qui in prædictas mulieres, quæ egressæ sunt de monasteriis, exceßerunt, & nunc dicuntur a communione suspensi, si fraternitas tua de tali facinore digne pœnituisse præuiderit, ad sacram communionem te volumus reuocare.

EPISTOLA XXV.

GREGORII PAPÆ I.

AD ZABARDAM DVCEM SARDINIÆ.

De Barbaricinis conuertendis.

Gregorius Zabardæ duci Sardinie.

SCRIPTIS fratris & coepiscopi mei Felicis & Cyriaci ^{Ioan. diac. lib. 4. cap. 47.} serui Dei, gloriæ vestræ bona cognouimus. Magnaque omnipotenti Deo gratias agimus, quod talem ducem